



BENEDICENTE JEHOVA, 1670, 18  
 Consentiente Illustri Jctorum Ordine,  
 PRÆSIDENTE VIRO

*Plurimum. Reverendo, Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Con-*  
*sultissimo atq; Excellentissimo,*

DOMINO

BARTHOL. LEONHARDO SWENDENDÖRFFERO,  
 U. J. D. Famigeratissimo, Pandectarum in hac Philyrea  
 Professore Bene-merentissimò, Capituli Martisburgensis Majo-  
 ris Canonicò Gravissimò, nec non Inclytæ Facultatis Juridicæ ac Curie  
 Provincialis hujus loci Assessore Celeberrimo,

*Dn. Patronò, Fautore ac Doctore suo omni honore*

*Et observantiâ et atem venerandò,*

Considerationem legalem ejus,

*quod circa*

FORMALE

AC

FATALE

Opponendarum Exceptionum

In Curiis Romano-German. ac Saxonis hodie obtinet,  
 Benivolis, placidisq; Themistæ cultoribus publicè  
 ventilandam exponet

*Lipsia pro cathedrâ Petrinâ*

Die XXI. April. M. DC. LXX.

JOHANN ANDREAS VOCKRODT, Molhus. Tyrigeta

A. R.

Literis COLERIANIS.



VIRIS  
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, AMPLIS-  
SIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, MUL-  
TIPLICIQUE RERUM USU UNDIQVAQVE EXER-  
CITATISSIMIS

DN. CHRISTIANO  
SCHMIDEN, JCTO.  
DN. JUSTO SA-  
MUELI BERGMAN

*illi*

Illustrissimorum DNN. Comitum  
à Schvvarzburg & Honstein &c.  
Cancellariæ Eblebiensis Directori, Con-  
siliario Aulico ac Justitiæ, nec non Consistorii  
Præsidi bene-merentissimo :

*Huic verò*

*Illustrium ac Generosissimorum*


DNN. à WERTHERN  
Judicii Ecclesiastici in Dynastiâ Frohdorfianâ Di-  
rectori, Ejusdemque & Neunheilingensis Præfecto, multisque insuper  
Generosis ac Nobilissimis à Consiliis, Advocato Famigeratis-  
simo, ut & Consuli Civitatis Greuffensis  
primario :

Utrique Patrono, Evergetæ, Promotori ac respe-  
ctivè Matruei suo nunquam non venerando ac ser-  
vitiis obsequiosis prosequendo,

*Hoc quicquid Academici est exercitii,  
consecrat*

AUTOR.





J. A. V. M.



Um aliquot retro annis juridici  
studii svavitate captus, non modò in Illustri  
Noricâ hujus Nobilissimæ artis principia in-  
qvirere cœperim; sed & bene - Cupientium  
svasu, in hanc deinde concesserim Philyréam,  
cœptam Altorsi, & interruptam paulò post  
telam DEO propitio, contexturus: Publico  
nunc tentamine explorandum duxi, --- quid valeant humeri,  
quid ferre recusent. Licet verò Cathedram Petrinam Theori-  
cis magis scaterere audiamus doctrinis; neque tamen practica pro-  
sus recusat, sed Devenerandi hujus Academiæ Antistites Juris be-  
ne experti, theoriam sine praxi parvi esse momenti, illamque so-  
lam jurium cognitionem solidam nequaquam præstare, plerumq;  
intra privatos parietes usum ejus, quod publicè legendo stabili-  
vére, suis auditoribus patefacere solent, erectò quasi digitò mon-  
strantes, quomodo jura rebus sint applicanda, prout tot hacte-  
nus habita collegia practica hoc luculenter probant. Ac insu-  
per Collegæ & Amici svavissimi specimen de accusatione contu-  
maciæ sub finem anni proxmé delapsi editum publicè docuit, non  
Juris tantùm Doctoribus, sed studiosis quoque concessum esse,  
practicis invigilare thematibus, & sæpe hos non in vano ducere  
vigilias, ut *Novell. IIX.* loqui amat. Unde planè confidimus, nec  
nobis denegatum iri, ejusmodi quid effabricare. Actorum ille  
magis vices sustinuit; Reorum igitur nos partes sequi svadet,  
ratio ac favor *L. 125. ff. de R. J.* quorum potissimus clypeus in  
justarum exceptionum oppositione consistit *L. 11. C. d. appell. &*  
*Consult. VVesemb. π. ff. n. 9 & C. n. 8 de Except.* Hinc mentem fixi  
A 2 in



in hęc, certò persuasus, non omnem me perditurum operam,  
si, quę theoria de Exceptionibus hactenus inculcavit, foro accom-  
modare allaborem. Argumentum nervosã sanè elaboratione  
dignum, adeoque optandum, ut hęc illi respondeat.

At pictorum solum discipulos, qui elegantissimarum  
sæpiusculè picturarum fundamentum, crassò plerumque penicil-  
lò ponere jubentur, nos imitaturi sumus, leviterque ac breviter  
tantummodò exceptionum oppositionem adumbraturi, limatio-  
rem ejus tractationem fœcundioribus ingeniis ac crumenis relin-  
quentes.

Partiemur laborem hunc in duas sectiones, & has iterum  
in aliquot capitula, ita ut prioris 1. homon. Synon. Definit. ac Divi-  
sionem; 2. Jus antiquum: Posterioris 1. hodiernum modum,  
2. tempus dilatorias, 3. peremptorias, & 4. executionis remorativas  
opponendi aperiatur.

Tu vero Candide Lector, ut hanc opellam æquè bonique  
consulere velis, est quod à Tuę humanitatis benevolentia decen-  
ter rogo atque contendo. Ac ne in limine statim contra  
Sacratissimi Imperatoris exemplum in l. 2. pr. de Off. pref. prat. Afr.  
Nov. 6. & 8. pr., alibiq. passim laudabiliter relictum, faciam, sed  
principium DEO amabile, & cætera universa bene & competenter  
procedant, Fabricaque decenti superædificata fundamento eò fir-  
mior sit, ex Nov. 109. pr. supplex peto: Principium, Medium DEUS  
ô sis, Terminus Idem!

## SECTIONIS PRIMÆ

### CAPUT I.

*Homonymiam, Synonymiam,  
Definitionem ac Divisionem Exceptionis  
remissive pellustrans.*

*§. 1.*  
**S**inefas secundum Gajum in l. 1. ff. de O. 7. causas in forò dicen-  
tibus videatur, absque præfatione judici rem exponere; Quan-  
tò magis nobis de materia, cujus usus vix alibi, quam in forò  
spectatur



spectatur, scripturis conveniens erit, aliquid præfari. Dicitur  
a. exceptio ab excipiendo, cujus vocabuli plures, præter hanc no-  
stri propositi, significationes repeti possunt ex Lexico-graphis;  
Item Schneidvv. ad pr. j. de Except. n. 2. B. Ludvv. Exercit. Justin.  
XVII. §. 1. lit. b. & præprimis Colleg. Argentor. quod Tit. d. Exce-  
ption. §. 3. homonymiam hujus vocabuli prolixè tractat.

§. 2. Juridicè vocabulum exceptionis sumtum denō-  
tat jus. Bach. ad pr. j. d. Except. hoc est, remedium juris arg. pr. j.  
de Action. reo competens contra intentionem actoris l. 2. ff. d. Ex-  
cept. Ludvv. ad §. 1. j. eod. & d. Ex. & §. lit. C.

Variisque hinc inde in jure appellationibus significatur,  
videl. Defensionis, Præscriptionis, Conditionis &c. Vide Ludvv.  
dd. ll. & Dn. Struv. S. J. C. Exerc. XLVI, §. 2. ac multò plura col-  
legerunt Argentorat. d. l. & §. n. 17. & seqq.

German. dicitur Auszug/ Einrede/ Ablehnung/ Ausflucht/  
Einwurf/ Vorwenden etc.

§. 3. Sumitur a. vel Generaliter & latè, prout  
omnem omnino defensionem, cujuscunqve sit generis, compre-  
hendit, ut in l. 4. 9. 11. & 12. C. de Except. & in l. i. C. de J. & F. Ign.  
Wesenb. π. ff. d. Exc. n. 2. sive intentionem adversarii ipsò jure,  
sive per exceptionem tollat. Zang. de Except. p. 1. c. 3. n. 1. idqve  
excipiendò, replicandò, duplicandò, triplicando, vel quadruplican-  
dò. l. 2. §. 1. 2. 3. ff. d. Exc. Ludvv. d. §. 1. b. Vel specialiter, ac  
strictè, pro eò remediò, quod actioni jure civili constitutæ à  
reò oppositum, hanc ipsam æquitate ratione excludit. pr. & §. 1. j.  
de Except. Zang. d. c. 3. n. 2. Ludvv. d. lit. b. Et vocatur exceptio  
juris Perez. Cod. d. t. n. 3.

§. 4. Licet verò apertè hinc liqveat, omnem exceptio-  
nem rectè defensionem dici, utpote ad defendendos reos compa-  
ratam pr. j. h. t. Sed non contra omnem defensionem esse sta-  
tim exceptionem propriè dictam. Vide Vinn. in præloq. ad tit. j. d.  
Except. Usu tamen interpretum juris omnis generis defensionem,  
sive juris, sive facti negatione actoris intentionem impugnet, exce-  
ptionis nomine venire Vinn. d. l. annotat & Mollemb. in Divis.  
jurid. centur. 3. divis. 18. b. fine.

A 3

§ 5 Porro



§ 5. Porro consideratur exceptio dupliciter, prout nimirum vel in personam rei radicata & in actu primo; vel ut in iudicio contra actoris petitionem proposita & in actu secundo. *Dn. Struv. d. Ex. 46. §. 2.*

§ 6. Pro varia hac acceptione varie quoque defini necessum est. Illò modo describitur exceptio, quod sit jus, s. juris remedium impugnandi actionem, ad excludendum actorem, reo competens, pr. & s. i. j. de Exc. L. 2. & 22. ff. eod. pr. j. de Replic. Hòc sensu non incommodè cum Theophilo *Instit. Tit. d. Except.* & Zang. *d. Tr. p. 1. c. 3. n. 24.* defini possit: Quod sit judicialis allegatio, reocompetens adversus intentionem actoris. *ix. in L. un. C. de Satisfand. Wesenb. π. ff. de Except. n. 3. Ibiq. Pl. Reverend. Dn. Dr. Præses, Fautor ac Promotor æternam mentis gratitudine colendus in Dictat. ad Wesenb. verb. Judicialis allegatio. B. Dn. Carpx. proc. Tit. IX. art. 1. n. 3.*

Quæ descriptiones cum nostræ intentioni sufficiant, alias Dd. mirè varias examinare instituti ratio prohibet: quapropter ad divisiones progredimur.

§ 7. Ex diversitate causarum multifarias quoque exceptiones recipiunt divisiones. Verum enim verò, missis his quibus à causam efficiente, impulsivam, remotam, proximam, subjecto, objecto, & formam aliam atque aliam tribuuntur qualitates, quas omnes late persequuntur Zang. *d. c. 3. n. 34. & seqq. Coll. Argent. d. Except. §. 4. Wesenb. π. ff. & C. eod.* eam tantum, quæ nostro labori satisfacit, & summa ac principalis vocatur. *Coler. ad rubr. Decretal. de Except. n. 10.* in scenam producemus.

§ 8. Deducitur illa à fine & effectu. *Ludov. d. Ex. XVII. §. 1. Vinn. ad §. 8. de Except.* qui est actionem & intentionem agentis vel ad tempus differre: vel totaliter tollere, §. 9. & 10. j. d. t. Et ab hoc exceptio dispescitur in dilatoriam ac temporalem: & peremptoriam ac perpetuam *d. §. 8.*

Illis cum *Bocer. Cl. VI. Disp. XII. §. 62. Ludov. d. Ex. §. 2. d. & Petro Gudel. de Jur. Noviss. lib. 4. c. 7. §. præterea.* accensemus etiam,



etiam, quas *Dd.* modificativas, sive modificatorias condemnationis & executionis appellare solent, utpote, quæ minuunt summam condemnationis ad tempus, donec debitor ad meliorem pervenerit fortunam *L. un. § cum a. 7. C. de R. U. A.*

§ 9. Dilatoriæ dicuntur, quæ rem in tempus differunt *§. 10. j. de Except. L. 2. §. fin. ff. eod.* Et quia differunt, dilatoriæ, *Verzügliche/* quia verò ad tempus hoc tantum faciunt, temporales appellantur. *Vinn. ad d. §. 10.*

§ 10. Peremptoriæ *Zerstörliche/* sunt, quæ actionem in perpetuum tollunt, adeoque agentem ab agendo planè & totaliter repellunt. *§. 9. j. & L. 3. ff. d. t.* Unde in *L. 2. C. de prec. Imp. offer.* dicuntur totius negotii cognitionem tollere & vires principalis negotii exhaurire.

§ 11. Perpetuitas hæc non tam ex adjuncto temporis, quò oriuntur & opponi possunt hæ exceptiones; Sed effectum earum æstimanda, quod allegatæ ac probatæ ita obstant, ut ne quidem posthac actio intentata nocere, aut exceptio temporis lapsu unquam evitari possit. *all. l. 3. ff. eod. l. 10. ff. d. V. S.* aliter sane atque in dilatoriis, quæ principale negotium non abolent, sed tantum vulnerant ac lædunt *Cuj. in π. ff. de Exc. arg. l. ult. C. in quib. caus. restit. in int. necess. non. est.* adeoque ad tempus tantum nocent, & sæpè evitari possunt. *d. l. 3. fin.*

§ 12. Quemadmodum autem Dilatoriæ non unius generis sunt; sed subdividuntur in dilatorias solutionis, quæ ipsam causam ac petitionem differunt *§. 10. j. de Exc.* ortumque trahunt ex ipsâ re & causâ, hoc est, ex naturâ contractûs, vel etiam pacto dependent, & sæpè ipsi inhærent actioni. *Argentor. d. th. 4. vers. II. Temporales. fol. m. 135. fine.* ut exceptio Præjudicialis, pacti temporalis, Excussionis &c. *Vid. Corvin. in Enchirid. Instit. de Except. Q. Quæ exceptiones concernunt ipsam causam. Ludov. Ex. XVII. th. 2. d. Dn. Struv. Exerc. XLVI. th. 6.* Et Dilatorias iudicii seu processûs *§. fin. j. d. t.* quæ concernunt vel intrinseca iudiciorum, videl. personas constituentes & accessorias, iudicem, actorem, reum, horumque procuratores, mandatarios. &c.  
&



& modum procedendi; Vel extrinseca iudicii  
& accidentia. *Vid. Dn. Struv. d. l. 0. 5.*

§. 13. Ita & peremptoriarum genera variant *Schnob. Disp. ad π. XXII. th. 4.* Harum enim aliæ dicuntur juris, quæ reverà ac propriè sunt exceptiones supra §. 3. *sine*, definitæ. *Dn. Struv. l. all.* Aliæ facti & intentionis, non quasi ex facto orientur; sed quibus negatur actio esse, & quando actori opponitur, quod tantum de facto moveat actionem. *Mej. C. A. d. Except th. 4. n. m. 5. § fol. 133.* Ubi notandum communiter quamvis pro iisdem usurpentur exceptio intentionis & facti; tamen à quibusdam ita distingvi, ut exceptio facti respectum habeat ad actionem nunquam competentem; exceptio intentionis verò ad actionem, quæ quidem competiit, jure tamen ipsò sublata est. *Bach. ad Tr. V. 2. D. 26. th. 1. C. post med. Pra. Nobiliss. Dn. Præses in Colleg. ff. ad VVesemb. h. t. n. 2.*

§. 14. Ulterius peremptoriæ quædam ex jure canonicò & receptò fori usu *Bocer. d. D. 12. n. 80. Cl. VI.* privilegiatæ appellantur, quæ scil. in primordio iudicii oppositæ, ac probatæ in continenti, litis ingressum impediunt, ius actionis omnimodò tollentes, ita ut instaurari iudicium amplius non possit. *ix. in cap. 1. § 2. de Lit. contest. VI. VVesemb. π. ff. n. 7. § C. n. 4. de Except. Dn. Struv. d. Ex. 46. th. 9.*

Ad quarum classem referri posse videtur Defensio pro avertendâ inquisitione, *de quâ B. Dn. Carpz. criminal. q. 115.*

§. 15. Quot autem & quæ sint privilegiatarum titulo decoratæ, inter Dd. controversum est, aliis certum numerum, vel binarium: Rei judicatæ ac Transactionis, *Bocer. d. th. 80.* vel ternarium: addendo jurisjurandi. *Vinn. ad §. fin. j. de Exc. n. 7. per verba §. 12. L. 1. ff. ad Scdm. Tertyll. Judicata, transacta, finitave: vel quaternarium, scil. & præscriptionis. arg. verb. fin. d. L. 12. L. 1. Dr. Tabor. in annot. ad Coll. Arg. d. th. 4. n. 13. referentibus; Aliis multò plures addentibus; Aliis verò ad omnes omninò peremptorias, de quibus in continenti constat, hoc extendentibus.*

*Bach.*



Bach. ad Tr. V. 2. D. 26. th. fin. lit. C. Berl. p. 1. concl. 18. n. 49. Dn. Struv. Ex. 46. th. 9. Coler. de Pr. Ex. p. 4. c. 1. & alibi. Quorum sententia nostrum subtrahere calculum religio est, utpote communiori & à verlatissimis jurium practicis non minùs, quàm in judiciis receptæ. Col. ad cap. Cum venerabilis 6. de Except. quin imò ab ipsâ Electorali Serenitate in Ord. proc. Tit. non Exceptionem XI. §. Et wâren denn 2c. approbatæ, ubi non modò qvatuor illis enumeratis, Rei judic. Jurisjur. Transact. & præscript., verùm omnibus aliis peremptoriis, per quas concluditur jus aëtori non competere, vis impeditiva processûs & obtinendi absolutoriam à causâ §. seq. wann nun also 2c. expressè tribuitur, modò ilicò notoriæ fiant.

## SECTIONIS PRIMÆ CAPUT II.

*Quæ jure antiquo circa exceptionum oppositionem aliter atq; hodie, obtinuerint, extra controversiam delibans.*

§. 16.

**P**Ræmuniti ita exceptionum divisionibus, quantum quidem ad nostram intentionem facit, paucula ex jure Romanò & processu antiquò referre placet de Exceptionum allegatione. Ubi I. Dilatoriæ se sistunt, quas regulariter à principio judicii usque ad litem contestatam opponere licuisse probat *L. exceptionem 19. C. de probat. L. 13. C. de procur. tx. in L. pen. & ult. C. de Except. Col. ad cap. Pastoralis 4. de Except n. 4.* ¶ Non verò post Lit. contest. quia quod potissimè ad judicium constituendum facit, ejus post illud acceptum, vix ac ne vix quidem ratio habenda est. *Perez. Cod. de Except. n. 5. Ludov. all. th. 3. b.* ¶ Unde si advocatus olim dilatoriam in litis exordiò prætermittam, postea exercere vellet, quandoque unius libræ auri condemnatione multabatur. *tx. in L. si quis. antef. C. de Exc.*

§. 17. Exceptiones peremptoriæ pro diversitate actionum

B

ex



ex §. 28. j. de action. bonæ fidei vel stricti juris variè olim  
proponi solebant. ¶ In illis videl. post litem contestatam  
semper usque ad sententiam definitivam, & quidem unâ juridicâ  
unam, alterâ aliam, & sic deinceps Boer. Decis. 43. n. 10. & seq.  
Berlich. d. c. 18. n. 57. peremptoriales objicere licuit, quamvis in  
formulâ à prætore non expressas. Quoniam bon. fid. judiciis ex-  
ceptiones ipsò jure inesse credebant. *ix. in L. sed etsi 21. ff. Solutio ma-  
trim.* Unde judicem omnes omninò, etiam tum demum, post-  
quam à prætore discessum esset, à reo oppositas, ex vi clausulæ bo-  
næ fidei judiciis inferi solitæ: Ex bonâ fide: Quod æquius melius:  
attendere oportuisse, dubio caret. *Bach. Tr. d. Action. Disp. VI. th. 21.*  
¶ In strictis verò actionibus ultra quod in iudicium no-  
minatim deductum, judicis officium ac potestas progredi nequi-  
bat. *ix. L. 18. ff. Comm. divid.* at in iudicium nihil dicitur deductum,  
nisi de quò lis apertè contestata sit. *L. un. C. d. lit. contest.* & quod  
prætor formulæ expressè indiderit: cui iudex deinde præcisè ad-  
strictus erat. *Bach. d. th. 21. princ.* Quam sententiam confirmant  
verba *L. 9. C. de Exc. Habitâ contestatione: Zang. p. 3. c. 26. n. 33.*  
& non rejiciendam dicit Ummius *Disp. ad process. IIX. th. 9. n. 57.*  
quoad illa tempora, quoad apud Romanos actiones à prætore  
certis inclusæ formulis, iudici discutiendæ ac definiendæ com-  
mitterentur.

§. 18. Non tacendum, quod olim ex jure Codicis exceptio-  
nes peremptorias antea omiffas in causâ appellationis adhuc allega-  
re fuerit permiffum. *ix. in L. 6. §. 1. C. de appell. & in L. 4. C. de  
tempor. & reparat. appell. Sneider. ad tit. j. de Exc. num. 9. VVesemb.  
cod. T. & num. Cod. circa finem.*

§. 19. Et cum præter enarrata, nihil ferè notatu dignum in-  
cidat, quod hodierni mores, quantum quidem nobis constat, non  
approbaverint, transitum facimus ad oppositionem secundum ju-  
ra hodierna Romano-Germanica, nec non Saxonica. Ubi quin-  
tuplex statim intuitus ac respectus mentem nostram ferit. Confi-  
derari enim potest Oppositio exceptionum, Vel 1. ratione perso-  
narum opponentium, quæ sunt aut principales, aut minùs, procu-  
ratores, tutores, Curatores, fidejussores: Vel 2. respectu causa-  
rum,



rum, in quibus allegantur, quæ sunt actiones criminales & civiles:  
Vel 3. ratione ipsarum exceptionum, videl. quas & quot unicuique  
opponere liceat. Vel 4. respectu modi & temporis, quomodo ac  
quando inducendæ sint Exceptiones. Vel deniq; 5. ratione finis  
& effectus, seu quâ intentione allegentur. ¶ Quoniam autem  
tres priores magis juris esse, duæ posteriores verò magis processum  
attingere videntur, rejectis illis in aliud commodius tempus, no-  
strum pensum absolvent hæ ultimæ. Sit itaque cum DEO

## SECTIONIS SECUNDÆ

### CAPUT I.

#### *Regulis aliquot ampliatis ac re- strictis modum opponendi ostentans.*

§. 20.

**R**egula I. Omnis exceptio regulariter alleganda. *L. si qui-  
dem 11. ibiq; Dd. C. de Except. Schnob. Diss ad π. 22. th. 10. B. Dn.  
Carpz. 11. Resp. 3. n. 2.* Non enim iudicis est, ea supplere, quæ in fa-  
cto versantur. *Prælaudat. Dn. Dr. Pres. in d. Coll. Vvesemb. de  
Except. num. 9.*

§. 21. Ampliatur regula. ¶ 1. Sive sit dilatoria, sive  
peremptoria, *Zang. d. Tr. p. 3. cap. 26. n. 7.* ¶ 2. Etiam si ex-  
ceptio sit notoria, tamen allegari debet. *L. cives 11. C. de Appell.  
Ludov. exer. XVII. th. 3. a. Carpz. d. n. 2. Struv. Exerc. XLVI. n. 12.*  
¶ 3. In omnibus omninò judiciis, criminalibus, civilibus, summa-  
riis ac ordinariis *per txx. & Dd. generalit.* ¶ 4. Sive bonæ fidei  
sint sive strictæ actiones. *Berl. p. 1. c. 18. n. 64. Dn. Carpzov. part. 1.  
const. 3. def. 13. num. 3.* quia hoc discrimen actionum moribus no-  
stris plane incognitum est. *Gudel. de Jur. Noviss. lib. 3. c. 13. §. sed  
quid moribus, Vinn. ad §. fin. j. de Except. n. 6.*

Extenditur hoc ¶ 5. Tam ad forum civile, quam Saxo-  
nicum. Etenim *s. Es solle auch 2c. Rec. Imp. de anno 1654. & Ord.  
proc. Saxon. Tit. XI. §. fin.* generaliter loquuntur, nullâ planè stricti  
juris ac bonæ fidei actionum separatione factâ.

B 2

§. 12.



§. 22. Limitatur & fallit prædicta regula:  
I. In civilibus, † si exceptio oriatur ex ipsò contractu, vel † ex confessione partis, vel † ex actis iudici de ea constet. Tunc enim supplere potest ac debet, *L. un. C. ut quæ des. advoc. part. jud. suppl. VVesemb. π. Cod. de Exc. n. 8. Zang. d. c. 26. n. 15. & seqq. Gail. 2. obs. 17. n. 2. Schnob. d. D. th. 10.* ¶ Id quod de præscriptionis exceptione in his regionibus expressè constitutum legimus. *part. 1. const. Elect. 25. & Dn. Carpz. ibid. d. 1. & 2.*

II. In criminalibus. Ubi quam maximè propter irreparabile præjudicium humani sanguinis, officio iudicis incumbit, pro rei defensione laborare, & defectum supplere *ix. L. si non defendantur ff. de pœn. VVesemb. π. ff. de Accus. circa fin. n. 2. vers. Quin- etiamsi &c.* ¶ Imò Dd. hoc adeo extendunt, ut accusatò vel inquisitò etiam non petente iudex innocentia exceptionem supplere teneatur. *L. absentem s. ff. de pœn. Specul. Tit. de Inquisition. §. 1. vers. sed nunquid. Jacob. Schultes in Loc. comm. Vocab. Exceptio. n. 16. Volckm. proc. crimin. part. 3. cons. 25. n. 27. B. Dn. Carpz. criminal. quest. 115. n. 13.*

§. 23. Quamvis autem Ummius *d. l. n. 55.* regulam illam videl. iudicem nequaquam attendere debere exceptionem non allegatam, ut maximè ex actis notoriam, universalem, & de puncto juris veriore dicat, tamen posteriorem limitationem æquiorrem esse, vel ipse fateri cogitur, quam etiam utpote in forò receptam, calculò suò approbavit *Consultiss. Dn. Dr. Præses. saepe cit. coll. VVesemb. n. 9.* Quo inclinare videtur *Percz. Cod. ut quæ des. advoc. n. ult. fin.* Et faciunt, quæ tradit *Dn. Dr. Nicolai Process. part. 1. cap. XV. n. 7. Item B. Dn. Carpz. p. 1. const. 2. d. 11. n. 5. & 6.*

2. §. 24. Regula II. Omnis exceptio alleganda est ad acta. *VVesemb. Cod. de Exc. n. 9. pr. per cap. Quoniam 11. verb. Exceptiones. de probat. Zang. all. cap. 26. n. 1. d. Recess. Imp. §. Es selle auch hinführo &c.* ¶ Vel in scriptis, vel vivâ voce, pro iudiciorum observantiâ & iudicis arbitriò *Argentor. de Exc. th. 11. num. 8. d. R. 7. §. wäre es denn verb. in Schrifften oder Mündlich &c.*

§. 25. Fallit posterioris membri alternatio quoad forum  
Saxo-



Saxonicum, ubi omnia oretenus proponere oportet. *Const. El. 1. § 9. p. 1. utrobique, Dn. Carpz. d. 1.*

§. 26. Ampliatur hæc Fallentia in judiciò criminali ordinariò. Nam hic utriqve parti semper & tantum vivâ voce agendum. *Carpz. d. l. d. 6. ex ratione L. 38. ff. de pact.*

§. 27. Limitatur fallentia in civilibus. ¶. 1. Quando partes ipsæmet mutuis scriptis procedere convenient. *Carpz. d. c. 1. def. 5.* ¶. 2. Vel ab ipsò iudice hoc impetraverint. *Id. d. c. 9. d. 1.* ¶. 3. Vel exceptio declinatoria fori notoria opponatur, quam in scriptis allegare sufficit. *Carpz. Proc. T. IX art. 2. n. 8.* ¶. 4. Limitatur quoad processum executivum, in quo hodiè reus omnes exceptiones in scriptis allegare, & ad Acta mittere tenetur. *vid. infr. §. 50.* ¶. 5. Limitat. in exceptionibus tam contra personas & dicta testium, quas post publicationem attestationum mutuis scriptis proponere permittit *Pr. Ordn. Tit. wie auff publicirten Beweis verfahren werden soll. 29. §. obwohl. 1. quam contra documenta probatoria, si horum magnus numerus productus & gravis momenti causa vertatur. Pr. Ordn. d. t. s. wann aber. 3. B. Dn. Carpz. proc. T. XV. a. 2. n. 28. § 29. † Quæ ultima extenditur ad cuncta judicia ordinaria criminalia ac civilia. Id. d. t. a. 1. n. 15. 16. 17.*

§ 28. Regula III. Omnis exceptio proponi<sup>3.</sup> debet specificè ac dilucidè. Idem quippe jus actoris atqve rei. *l. non debet actori. 41. ff. d. R. 7. Cap. non licet actori. 32. eod. in VI.* Et quamvis hoc non ita strictè intelligendum, ut à reo exceptio æque solenniter in scriptis, atqve ab actore libellus, inferenda sit: Non tamen sufficit nudè ac generaliter, & absqve petitione excipere; Sed contra communem à *Bart. in l. i. ff. de Exc. n. 5. adductam*, certi sumus cum *Colerò ad cap. pastoralis 4. n. 13.* Clarè, perspicuè ac significanter, quin & necessariò cum conclusione defensiones à reo proponendas esse. *Facit cap. Dilectus 29. § cap. significant 34. de Rescript.*

§ 29. Ampliatur regula. ¶ Ut procedat tam in Imperio Romano-Germanicò *Rec. Imp. d. anno 1654. § Es solle auch hinführo re.*

B 3

verb.



verb. Eurg / *nervosé*, deutlich / auch unterschiedlich und klar / Item *specificè*. &c. Quam in provinciis Saxonis. *Carpz, lib. 2. Resp. 1. n. 15. 16. 17.*

¶ Extenditur: ut etiam exceptio propter obscuritatem ac ineptitudinem pariter ac libellus, vitietur, *Sichard. adl. un. C. De his qui potent. nom. &c.* ¶ & obscure excipiens pro non excipiente habeatur, *Rosb. proc. civ. Tit. de Except. 39. n. 11.*

§ 30. Limitanda videtur regula in processu criminali. Quemadmodum n. in hoc generalis petitio sufficit, nec ob generalitatem conclusionis vitatur libellus. *Vvesemb. π. ff. de accus. n. 12. post med. Carpz, criminal. q. 106. n. 15.* Ita defensionem innocentiae sive expressae, specificè & cum circumstantiis ex quibus, objecta fuerit ab accusato, sive minus, semper admittendam esse, favor ejus svadet, ne videl. innocens damnetur, contra, *l. 5. pr. ff. d. poen.*

§ 31. Quomodo a. & quibus formalibus quaelibet exceptio in specie, vel plures conjunctim, legitime proponi possint, videantur *Termini, Nicolai, Fibigii*, aliorumque pragmaticorum processus & praerimis *Coler. in Tit. Decretal de Except.* Ubi tam dilatoriarum, quam impeditivarum ac peremptoriarum formulas conscriptas reliquit. Optima vero Magistra erit ipsa praxis atque experientia.

## SECTIONIS SECUNDÆ

### CAPUT II.

#### *Tempus proponendi dilatorias monstrans.*

§ 32.

**R**egula: Exceptiones dilatoriae hodie regulariter in primo statim termino, & ante litem contestatam, sub poena amissionis sunt inducendae; ¶ tam de jure Imperii, *d. R. J. 1. Es solle*



solle auch *re ibiq.* Dn. *Textor Exercit. Academ.* 4. *l.* 34. : ¶. *quã*  
de jure Saxonico, *Constit. El.* 3. *p.* 1. *Pr. Ord. T. XI.* *l.* 1. *Resol. Sa-*  
*xon. noviss. Tit. von Justitien-Sachen* *re.* *l.* 17.

§ 33. Ampliatur : ¶. 1. Et quidem omnes simul  
*vb. expressa dd. ll.* † Quod tamen iterum limitatur ratione  
declinatoriarum prægnantium ac notoriarum, quas seorsim &  
absque præjudicio aliarum exceptionum allegare licet. *d. R. J. l.*  
*und hat der. Ibiq. Text. d. l. l. 40.* ¶. 2. In omnibus omninò causis,  
ordinariis ac summariis, civilibus ac criminalibus *per txx. general.*  
*Folckm. proc. crimin. part. 1. c. 17. n. 7. l. 2. & cap. 19. n. 3.*

† Excipe causas executivas, quarum novam praxin  
Electoraalem Saxoniam vid. *infr. cap. ult. l. 45.* ¶. 3. Sive judicium,  
sive solutionem attingant dilatoriæ. *Ludov. d. Ex. XVII. l. 3. b.*  
*Dn. Struv. Ex. XLVI. l. 7. Umm. proc. Diss. 8. l. 9. n. 56. post med.*  
¶. 4. Ex Imperii constitutione : Licet reus conventus pro-  
rogationem impetraverit, nihilominus primâ juridicâ omnes  
dilatorias inducere tenetur. *d. R. J. l. wãre es denn & all. Text. l.*  
*37. Ubi speciale hoc dicit. Ampl. ¶. 5. Ut reus tardius, quã in*  
*terminò primò planè non audiatur. d. R. l. cit. l. & solle. sine :*  
*vers. unterlassen/ ihm hernach der Weg solches zuthun benommen.*  
*Dn. Text. l. 35. & seqq. Berl. p. i. c. 18. n. 11. Carpz. proc. T. IX. a. 1. n.*  
*24. & seqq.* ¶. 6. Sive in primò comparuerit, sive penitus eman-  
serit. *dd. ll.* Nam terminus exceptorius peremptorius ac strictus  
est. *Umm. d. l. 9. n. 60. med.* Quæ ampliatio tamen fallit  
in casu, quo utriusque litigatoris circumductione annullatus fuerit  
præfixus terminus. ¶. 7. Licet in primo termino protestatus  
fuerit de aliis dilatoriis opponendis, *Coler. ad cap. pastoralis 4.*  
*num. 7.* Ubi pro & contra allegans cum negativâ receptâ tan-  
dem transit. ¶. 8. Ut nec judicis interlocutum super præ-  
clusionem necessarium sit. *Dn. Text. d. l. l. 39.* Quod enim lex  
ipsa expressè disponit, super eò frustra desideratur hominis  
provisio.

§ 34. Limitatur ac fallit regula, ut effectus  
præclusivus reo non noceat. ¶. 1. Si ratio excipiendi post primum  
demum



demum terminum exorta fuerit noviter, tam ordine rerum, quam ordine ad nos. *Cap. pastoralis 4. Ibiq. Col. n. 8. & 9. Text. d. Exerc. 4. §. 35. sine & Disput. VII. §. 54. Dn. Struve all. §. 7. B. Dn. Carpx. d. a. 1. n. 38. Mej. Coll. Argent. de Except. n. 11. f. m. 141.* † Quod ultimum tamen juramento excipientis probandum. *d. cap. 4. VVesemb. C. de Exc. n. 10. circa med. vs. nisi de novo emergentes. Berl. sepe cit. c. 18. n. 16. §. 2. Si exceptio ex causâ successivâ suos natales ducat; ut loci non tuti, inhonesti &c. quæ pro duratione gravaminis, quandocunqve proponi potest, etiam post litem contestatam. Gail. I. O. 53. n. 3. Ludov. d. §. 3. b. Zang. p. 2. c. 5. n. 3. §. 3. Si reo convento legaliter terminus exacte non concessus, vel libelli, aliorumqve ab actore productorum documentorum copia non transmissa, vel aliud substantiale citationis neglectum fuerit. d. R. 7. §. 5. Es solle: vs. wann nun der Kläger/ & ibid Text. §. 34. Berl. d. l. n. 23. §. 4. Si iudex interloquendo reo exceptiones reservaverit; vel expresse *cap. ad dissolvendum 4. de Desponsat. Impub. Umm. d. §. 9. n. 56. except. 4;* **VEL** tacite, pronunciando, daß er sich einlassen und antworten soll/ non facta mentione litis contestandæ. *B. Dn. Carpx. 11. Resp. 8. & Decis. Elect. 14. §. 5. So lassen wir.* §. 5. Si reus sententiam vel appellando, vel leuterando suspendat, & gravaminum loco, dilatorias omittas alleget ac deducat. *Berl. d. c. 18. n. 12. Carpx. Proc. d. a. 1. n. 35. & seq. §. 6. Si condemnatus ad legitima impedimenta eadem docuerit. Carpx. d. l. n. 52. & seqq.* §. 7. Si libellus propter ineptitudinem rejectus à iudice. Tunc n. alio proposito etiam dilatoriæ admittuntur. *Id. p. i. C. 3. d. 21.* §. 8. Fallit in tertio interveniente, qui etiam post litem contestatam omnes dilatorias opponere privilegiatus est. *Argent. de Except. n. 6. f. 141. Gail. I. O. 71. n. 8. Zang. p. 2. c. 22. n. 12.* §. 9. Si minor ex omissione dilatoriæ magni momenti in integrum restituatur. *Hartm. Pistor. Obs. 208. per tot. Berl. d. l. n. 18.* §. 10. Quoties effectum processûs annullativum habent. Tunc n. semper recte allegantur. *arg. l. 24. ff. de procur. Marant. de ord. judic. de Except. n. 9. & seq. Bach. ad Tr. Vol. 2. D. 26. §. 7. E. F. G. & H. post princip. & vers. Ut ad rem redeamus. Dn. Carpx. proc. d. a. i. T. 9. n. 39.* † **Ampl. hæc limitatio**, ut post tres conformes quoqve nullitas valide objiciatur*



ur. Covarruv. Qq. practicab. 25. Bach. d. l. v. Idq̄, adeo Zang. p. 3. c. 26. n. 68. si nempe exactis sit notoria & in continenti docibilis. Bart. in L. sise 4. §. 6. n. 3. & 4. ff. d. Re jud. per l. 2. C. ad l. Cornel. de fals. aliās non attenditur. ¶ 11. Fallit in dilatoriis anomalis, quæ ante & post litis contestationem, quin & in executione cum effectu opponuntur. Ut Exc. excussionis, divis. cedend. action. &c.

§ 35. Et hæ sunt limitationes in forō frequentiores, cæteras rariores & minùs obvias Videtis ap. Zang. d. c. 22. Umm. d. n. 46. Calvol. in pract. aur. §. Exceptiones contra libellum. conclus. 1. per tot.

§ 36. Sed quid si forte reus statim primâ positione ad punctum principalem respondeat, & in eodem primò terminò duplicando inferre tentaret dilatorias? Elumbes omninò ac non attendendas dicit Zanger. d. l. n. 4. Cum præposterum ac ineptum admodum sit judiciò jam acceptò, de ejus constitutione quærere. Cujac. lib. XIII. obs. 34. Nos his conquiescentes dilatoriarum oppositionem finimus seqq. qq. I. An allegatio aliis dilatoriæ declinatoriæ fori præjudicium faciat? In quâ definiendâ ancipitia admodum Dd. cerebra offendimus, & contentions ferram hinc inde strenuè reciprocantia ¶ Negan- tibus id accerrimò & subtilissimò jurium disputatore Bacho- vio ad Tr. V. 2. D. 12. §. ult. lit. a. & de Action. Disp. 1. §. 38. col. 14. Mej. Coll. Arg. de Jurisd. §. 40. & aliis; ¶ Affirmantibus contra Gail. 1. §. 33. n. 11. Umm. proc. D. 8. §. 2. n. 7. Sneiduv. j. de Exc. n. 9. Pe- rex. Cod. eod. n. 4. Rittershus. in expos. novell. p. IX. C. 6. n. 106. Zang. p. 2. c. l. n. 3. & Dn. Carpx. proc. T. IX. a. 2. n. 7. propter tæ. in l. Sed etsi suscepit. § 2. pr. ff. de Judic. L. exceptionem. 19. ibiq̄ Gl. C. de probat. Sed his ob jura alleg. & praxeos autoritatem magis credimus, quam illis.

II. Quo ordine dilatoriæ plures allegandæ? Cui maximam partem ex priori satisfieri autumo. Nam nullò inde negotiò colligere est, prudentis ac fidelis Advocati officium esse, pro legali dexteritate suâ selectum exceptionum habere, & primò

C

primò



primò omnium declinatoriam fori vel recusatoriam judicis, & his  
similes, inducere, deinde illas semper, quæ cæteris nullum adferunt  
præjudicium, adversario tamen magis nocent, adeoque judicium  
impedientes, & sic deinceps reliquas anteferre ac subnectere.

## SECTIONIS SECUNDÆ

### CAPUT III.

#### *Fatale opponendarum per- emptoriarum observans.*

§. 37.

**H**ic tanquam notum præsupponimus, exceptiones per-  
emptorias dupliciter opponi solere. vel (I) dedu-  
cendo illas in judicium ad repellendam actoris petiti-  
onem, idque vel in principiò litis pro intentione ejus planè excluden-  
dâ *suprà* §. 14. Vel post litem contestatam, ad tuendum sese con-  
tra actoris probationes. *Beat. Dn. Carpov. 11. Resp. 3. num. 1.*  
(II,) impugnando iisdem executionem in ipsò exeqven-  
di actu. *d. l. num. 3.*

§. 38. De priori oppositione firma stat regula:  
Omnis exceptio peremptoria, non nisi post litem contestatam alle-  
gari debet. *L. 8. L. 9. C. de Exc. Col. ad cap. cum venerabilis. 6. n. 62.*  
*Pr. Ordn. T. XI. §. was aber. 8. verb. erst nach der Kriegs-Befestis-  
gung. Carpz. p. 1. c. 3. d. 14. & Decis. 229. n. 13. & præposterè agere  
dicitur, qui prius eam opponit d. c. 6. ibiq. Col. n. 62. cum enim me-  
rita causæ concernant, non nisi post judicium acceptum eas tracta-  
re convenit. Gal. 1. O. 74. n. 13. & O. 119. n. 9.*

§. 39. Ampliatur regula: §. 1. Quin ipsi statim  
litis contestationi seu responsioni principali subnectendæ, vel im-  
miscendæ, tam de jure Imperii, per *R. J. Spirens. d. anno 1570. §. Deme-  
nach sollen die gewöhnliche Termine 89. post med. & d. anno 1654. §.  
es solle 2c. quam Saxonico Const. El. 3. p. 1. Pr. Ordn. d. 1. §. fin.*  
*Carpz.*



*Carpz. d. n. 13.* ¶ 2. Omnes simul ac semel sub poenâ præclusi  
d. s. es solle. vers. alles auff einmahl. *Dn. Text. Disp. ad eund. IV. §. 35.*  
¶ 3. Ut omisæ in litis contestatione nec in reprobatoriis cum effe-  
ctu deduci possint. *Donell. in l. siquidem 9. C. de Exc. n. 2. §. 6. Duar.*  
*ad d. t. ff. post med. vers. quod facere non posse videtur. Zang. p. 3. c. 26.*  
*n. 30. vers. quod si exceptio.* Quia terminus exceptorius est exclusivus,  
& quod per contestationem non inducitur, circa id officium iudicis  
non occupatur. *L. 18. ff. Comm. Divid. Pr. Ordn. T. XXI. §. do*  
*auch Beslagte. 4.* ¶ 4. In omnibus omnino iudiciis civili-  
bus, ordinariis ac Summariis. ¶ 5. Ut in causis mandatorum  
reum præcisè & præclusivè suas exceptiones contra mandatum in  
primò terminò inferre jubet *Rec. Imp. de anno 1654. s. belangend* &  
*s. nechst diesem: Item s. in den mandatis. Dn. Text. Disp. ad d. R.*  
*VII. th. 49.* Ita observantia nostrarum curiarum provincialium  
testatur reo inhibito idem in proximò (sæpè non Saxonico) termi-  
nò injunctum esse. *Carpz. proc. T. XXIII. a. 4. n. 20. §. 26. §. de Inhi-*  
*bit. cap. V. th. 45. n. 30. §. 36.* Primò.

§. 40. Limitatur regula: Primò quoad perem-  
torias privilegiatas. ¶ 1. Quoties enim peremptoriae cum effe-  
ctu impeditivò opponuntur, toties ante litem contestatam vel re-  
sponzionem ad negotium principale allegari possunt ac debent.  
*Vvesemb. π. ff. de Exc. n. 7. circa med. Carpz. p. 1. c. 3. d. 15. n. 2. §.*  
*proc. T. IX. a. 7. n. 25. §. arg. d. §. Es solle. R. J. † Ampl. limitatio*  
hæc, † ut omnes impeditivæ conjunctim opponantur in primò  
terminò præclusivè. *d. R. J. §. wäre es denn. Ibiq. Text. th. 35. Re-*  
*sol. gravam. Saxon. T. von Justitien Sachen s. 18. † Extenditur por-*  
*rò ex R. J. † Licet termini prorogatio decreta fuerit. Text.*  
*th. 37.* ¶ 2. In defensione pro avertendâ inquisitione, ita ut in-  
quisitus cum illâ ante responzionem ad articulos inquisitionales au-  
diendus sit. *Demonstrante Dn. Carpz. criminal. q. 115. n. 24.*

§. 41. Quæstionis fortè esset. Num in casu, ubi reo  
nova obveniat peremptoria in continenti liqui-  
dabilis, vel objectæ quidem ante, sed ob defe-  
ctum præsentis probationis à iudice repulsæ, pro-



batio succurrat, eam pro impediendo ulteriori processu allegari, & iudex captum iudicium absolutoria interruptere valeat? Videtur affirmandum per ea quæ ex Castrensi in *L. ait prætor 7. pr. de iurej. tradit Bach. ad Tr. V. 2. D. 26. th. 8. C. & D.* Et sæpè fit, ut iudicio iam constituto, à partibus transigatur, ubi iniquum sanè esset, si actori concederetur reum continuatione processûs defatigare.

Secundò.

§. 42. Limitatur Secundò quoad peremptorias simplices & propriè dictas, vel ¶. 1. Noviter obortas, vel ¶. 2. antea ignoratas per jura *suprà §. 34. limitation. 1. alleg. Berl. p. 1. c. 18. n. 65. & concl. 39. n. 21.* Vel ¶. 3. etiam ante quidem impeditivè inductas, propter irrelevantiam verò à iudice post lit. contest. rejectas, quarum repetitione in litis contestatione supersedere, ac nihilominus reprobando deducere potest reus. *Berl. d. c. 39. n. 20.* † Quod tamen ita procedere putamus, si litem contestans earum mentionem per modum relationis fecerit. Vel ¶. 4. denique processum retro annullantes. *suprà §. 34. limit. 10.*

Tertiò.

§. 43, Limitatur Tertiò in causis executivis. *vid. cap. Quart. seq.* & Quartò in processu criminali ob sanguinis innocentis periculum, tam ordinario, in quo sufficit, si accusatus in responsione & litis contestatione tantum protestando defensioales suas justo loco & tempore proponendas reservet. *Petr. Theod. Coll. crimin. D. XI. & ult. th. 6. lit. C. paulo post princip. Carpz. crimin. q. 33. n. 6.* quam inquisitoriò, ubi reus seu inquisitus suas exceptiones post responsionem semper allegare valet. *Carpzov. ibid. quest. 115. n. 21.* † Ampliatur in utroque quoad innocentia defensioem, quæ non solum ante sententiam semper, sed & post unam atque alteram condemnationem deduci potest. *Berlich, p. 4. c. 14. n. 36. & seqq. Jacob. Schult. Loc. comm. vocab. Exceptio. n. 16. tx. in L. unius 18. §. cogniturum 9. ff. de Q. g. Add. L. 2. §. 1. ff. de custod. & exhib. reor. L. 19. ff. de pæn. Carpz. d. n. 21. & q. 33. n. 14.*

§. 44. Alter oppositionis modus, impugnandi videl. executionem, restat. Jura & observantia nos edocent, quod



quòd sententiæ, quæ in rem judicatam transit, executionem consequendi duplex victori sit prodita via, ordinaria ac summaria. Illa actio judicati, hæc imploratio officii judicis nobilis. *Rosb. proc. civ. Tit. LXXIX. ult. n. 13. Gail. 1. O. 113. n. 9. Mindan. de Mandat. cap. 58. membr. 2. pr. Col. de pr. Ex. p. 3. c. 9. n. 6. per l. Miles 5. §. judicati ff. de Re judic* ¶ Sed simplex ac stolidus esset dicendus, qui relicto compendio, ordinarium, multis sæpe sumtuosis ac annosis intricatum ambagibus ingrederetur. Hinc cum posterius magis frequens, ac tutius omnino sit, executionem per implorationem judicis summam ac sine solenni telâ petere *Cyn. in l. 5. n. 2. vs. si a. eligitur Sc. C. quor. appell. non recip.* aliis quoque plurimis casibus non minus, ac in re judicatâ parata sedem inveniât executio, quibus omnibus tamen non raro magnæ per exceptiones injiciuntur remoræ, & circa has, præsertim ex constitut. Elect. Saxon. Novissimis multa specialia obtineant, idè in peculiari capite istos modos, quantum ad propositum, examinantes, finem imponemus nostro labori. Sequitur ergò

## CAPUT IV & ultimum.

### *Oppositionem exceptionum in executione admissibilium tractans.*

§. 45.

**Q**uoniam summa inter rem judicatam ac cæteros modos executivos intercedit paritas, hîc jungimus. Nam hodie omnis creditor, sive rem judicatam, sive confessionem debitoris, vel instrumenta garentigiata aut alia liquida ac recognita præ se habeat, paratam statim consequi potest executionem. *Berl. p. I. C. 79. n. 4. & c. 80. n. 1.*

¶ Illud hic moveri solet. An jure civili absque intentatò processu, & ante finitam actionem ordinariam executio admitti debeat; Et licet negantium



gantium agmen agentes longè & ita superare dicat *B. Dn. Carpx. proc. T. XXII. a. 1. n. 1.* ut non nisi, qui communi interpretum juris civilis voto contradicere præsumserit, hisce associare sese queat. Tamen *Mindan. lib. 2. de Mand. cap. 70.* non ab omni parte tutum id relinquere mihi videtur. ¶ Nos potius ab hâc controversiâ, tanquam otiosâ, mentem ac manum abstrahimus, contenti observantiâ & consuetudine totius Germaniæ communi, de quâ uterque Dissentiens *Dn. Carpx. d. l. n. 13. & Decis. 125. n. 6. Mindan. d. l. præprimis membr. 7. & 8. Gail. de arrest. Imper. cap. 9. n. 18. Coler. de Pr. Ex. p. 2. n. 3. & seqq.* testantur Quod hodiè ubiqve ferè locorum, specialiter in terris Saxonis, præsertim Electoralibus, privata pariter ac publica instrumenta, si liquida ac indubitata sint, h. e. quorum aspectus statim notorium facit, quid, quantum & quâ ex causâ debeat, ita ut aliis probationibus opus esse non videatur, factâ recognitione, exemplò & absq; aliò processu æqvè ac judicata executioni mandentur.

§. 46. Contra hanc verò reus iterum exceptionibus munire se valet, earumque vel **Dilatoriarum**, quæ a. executori ipsi, vel executionem petentibus objici solent. *Zang. p. 3. c. 26. n. 72. Berl. p. 1. c. 83. n. 6. 7. 8. 9.* Vel **peremptoriarum**, ratione rei judicæ non quidem omnium indiscriminatim; Sed quæ vel ¶ antea in iudicium non deductæ. *Carpz. lib. 2. Resp. 3.* vel ¶. plenè in eò non discussæ. *Id. d. l. Resp. 5. Boër. decis. 43. n. 4. Berl. all. c. 84. n. 95.* Vel ¶. non ipsam sententiam antea latam directò impugnant. *L. Nefennius s. ult. Ibiq; Dd. ff. de Exc. rei jud. Berl. d. c. 79. n. 47. Bach. ad Tr. V. 2. D. 26. §. 7. E. F. G. H. circa med.* Sed executionem vel temperant & modificant *VVesemb. π. ff. d. Except. n. 10. sine. Schneidvv. ad §. 36. j. de act. n. 12. & de Exc. n. 9.* & actioni intentatæ contradicunt. *Gail. 2. O. 17. n. 9. & 10.* modo in continenti integrè ac plenè demonstrari possint. *Carpz. d. l. Resp. 6. Boër. decis. 265. Incip: Et primo præsuppono. n. 7. med. Col. d. Pr. Ex. p. 4. c. 1. n. 163. 166. ac multis aliis locis.*

§. 47. Sed ultra limites progressum pedem retrahimus ad temporis adjunctum, quo ejusmodi exceptiones opponi convenit, in quo cum ab Imperii & fori Saxonici communis observantiâ  
con-



constitutiones ac resolutiones Electorales novissimas divertisse deprehendamus, non unâ hîc regulâ opus fuerit. ¶ Prius a.

quærerere animus postulat. An in processu Summario-Executivo peremptoriæ in continenti liquida, à recognitione pariter, ac in ordinario à litis contestatione, reum conventum liberare potes sint?

Et quin affirmemus, nihil impedimenti videmus, quod obstat; Sed potius adjumentum habemus ex rationis identitate, quæ casus pares quoad juris dispositionem conjungit. *L. 32. ff. ad l. Aquil. l. 108. ff. d. V. O. l. 9. §. 2. ff. d. Edend. l. 7. C. de revoc. donat.*

§. 48. De jure Imperii & communi est regula: Exceptiones contra executionem admissibiles intra terminum executioni præfixum præclusivè sunt inferendæ. *Rec. 7. de anno 1654. §. damit auch die ausgesprochene Urteil/ & §. seq. In welchem Termin. Ibiq. Text. Disp. VII. §. 64. Berl. p. 1. c. 81. n. 11. & C. 84. n. 85. fine. ¶. Id quod tamen extensivè intelligendum ut in ipsò actu executionis admittantur. Dn. Carpz lib. 11. Resp. 45. n. 7. & Decis. 151. n. 7. Text. d. D. §. 49.*

§. 49. Limitatur autem, si fortè executandus ante termini adventum, ejusdem prorogationem impetraverit. Quo casu, quoniam prorogatio non facit actum novum, sed unus idemque est cum prorogato. *Tiber. Decian. Consil. 11. n. 32. Carpz. decis. 51. n. 15. adhuc allegari possunt exceptiones, arg. §. es were denn d. R. 7. ibiq. Text. §. 49. princ.*

§. 50. De jure verò Electorali Saxonico sequens hodiè observanda est regula. Debitor executandus & executivè conventus intra primum terminum, & quidè præcisè tres septimanas à die factæ insinuationis vel præcepti executivi, vel citationis ad recognoscendum, suas exceptiones sub præjudiciò præclusi, in scriptis judici transmittere tenetur. *Resol. gravam. noviss. Tit. von Justitien - Sachen §. 2. & 3. & Decis. Elect. 2.*

§. 51. Ampliatur regula: ¶. 1. Easque tam dilatorias,



rias, quàm peremptorias. Eadem quippe in utrisque militat ratio.  
† Si modo antea extiterint & rei notitiam non effugerint.  
¶. 2. Sive debitum ex re iudicatâ, sive ex aliò instrumentò liquidò  
& exequibili dependeat *dd. allegg.* ¶. 3. Nec præscriptò fatali  
neglectò in executionis actu, licet ex ipsò contractus instrumento,  
& actis notoriis exceptionibus reus ulterius audiendus. *dd. §. 3. fine.*  
¶. 4. Sive deinde in terminò comparuerit, sive planè emanerit,  
& hoc passu documenta in contumaciam pro recognitis iudicata  
fuerint. Nam in his casibus contumaciæ pœna privatio excep-  
tionum est *Dn. Carpz. lib. 2. Resp. 9. n. 18. & 19. & Resp. 51. n. 25.*

§. 52. Limitatur ac fallit regula: ¶. 1. In  
exceptione solutionis ac compensationis liquidæ. *d. §. & decis.*  
¶. 2. In exceptionibus à iudice ipsò supplendis, v.g. præscriptionis,  
quam iudex in executivis etiam non oppositam attendere debet.  
Cum neque par neque æquum sit, aliquem condemnare ad id,  
quod temporis diuturnitas iure approbata sustulit. ¶. 3. Limit:  
Si reus conventus dilationem impetraverit ad opponendas exce-  
ptiones. *d. resol. 3. vs: hernach aber.* ¶. 4. Si forma proceden-  
di *resol. 3. & decis. 2.* præscripta præcisè ab actore vel iudice non fue-  
rit observata, v.g. Literas petitorias pro citando ad recognoscen-  
dum debitore, vel copias documentorum obligatoriorum, vel etiam  
liquidationes prætensionis actor iudici non obtulerit, vel hic reo  
convento non omnium productorum copias transmiserit, vel ter-  
minum saxonicum plenum à die insinuatæ citationis non conce-  
serit. &c. quibus casibus reus fatali trium hebdomadarum non  
adstrictus; Sed omnes omnino exceptiones aliàs admissibiles in-  
ducere potest. Solennitate n. non observatâ totus corruius actus.  
*l. 8. §. 17. Ibiq. Bart. n. 1. ff. de Transact. Gail. 1. O. 1. n. 36.* Et ita Sere-  
nissimus Noster Term. Trinit. 1667. in casu non concessi integri  
spatii saxonici iudicavit, reum cum suis exceptionibus non esse  
præcludendū. ¶. 5. Nec in processu mixtò (*vid. Dn. Carpz. p. 1. C. X. d. 11.  
& lib. 3. Resp. 31. n. 24. & seq.*) reus exceptiones intra tres hebdomades  
non allegatas perdit. Quippe LL. correctoriæ novæ de casibus tan-  
tum expressis intelligendæ. *Berlich. part. 1. conclus. 53. num. 60. vers:  
Leges a. correctoriæ. ibiq. allegg.* Tantum.


DEO GLORIA!



X 2615905

lam









7461.

AX.

3  
18

BENEDICENTE JEHOVA, 1670, 18  
Consentiente Illustri Jctorum Ordine,  
PRÆSIDENTE VIRO

*Plurimum. Reverendo, Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Con-  
sultissimo atq; Excellentissimo,*  
DOMINO

BARTHOL. LEONHARDO SWENDENDÖRFFERO,  
U. J. D. Famigeratissimo, Pandectarum in hac Philyrea  
Professore Bene-merentissimò, Capituli Martisburgensis Majo-  
ris Canonicò Gravissimò, nec non Inclytæ Facultatis Juridicæ ac Curie  
Provincialis hujus loci Assessore Celeberrimo,

*Dn. Patronò, Fautore ac Doctore suò omni honore  
& observantiâ et atem venerandò,*

Considerationem legalem ejus,

*quod circa*

# FORMALE

AC

# FATALE

Opponendarum Exceptionum  
In Curiis Romano-German. ac Saxonis hodie obtinet,  
Benivolis, placidisq; Themistæ cultoribus publicè  
ventilandam exponet

*Lipsia pro cathedrâ Petrinâ*

Die XXI. April. M. DC. LXX.

JOHANN ANDREAS VOCKRODT, Molhus. Tyrigeta  
A. R.

Literis COLERIANIS.